

factus. Sicuti is qui circa terram, aer, etiam si humidior, et veluti, ut ait ἀλμίς vapor sit factus, desinit ob id aer esse. Igitur Aristotelis sententia, quamquam inconstanti, totum id quod a terra usque ad coelum est, unum est aeris corpus, per partes, qualitatibus tantum a se toto differens. Id et nos probamus, sed ille cœlo eum facit modo continuum, modo cum suis contiguum, nullam tamen causam, nullam rationem, aut huius, aut illius affert nullo signo, nullo comprobat argumento, aut experimento. Nos vero quid ad id dicemus? Aer hic totus idem ne cum cœlo corpus est, an ab eo corpus aliud? Sane perardua est quæstio, et quod nos sciamus, a nemine vel tacta, vel tractata. Est tamen aliquid de ea dicendum. Et Aristotelico utendum monitu.

Περὶ τῶν ἀφανῶν τῇ αἰσθήσει, νομιζόμεν ἰκανῶς ὑποδεῖχθαι κατὰ τὴν λόγον ἐὰν εἰς τὸ δυνατὸν ἀναγάγωμεν.

“Eorum quæ sensibus non sunt manifesta, putemus sufficienter esse demonstratum secundum rationem, si ad possibile deducamus.”

Aer igitur infimus, terræ circumfluus et aquæ, vaporosus est, et quasi aqueus. Nullo is vel superficie suæ propriæ interstitio, vel alterius corporis interventu, a media quæ vocatur aeris regio separatur, neque media hæc regio ab infima est segregata. At neque media hæc, ab hypeccaumate calido illo, et sicco est seiuncta. Nulla enim talis seiunctio, vel apparent, vel ratione ulla est demonstrata. Si ita sit, unum et continuum, et eiusdem sunt naturæ corpus. Et si quid differant, qualitatibus different solummodo. Unum autem esse totum hoc corpus, his argumentis ducimus. Quod nulla in eo separatio cernatur. Totum sit fluidum. Totum enim nubibus, imbrisbus, nivibus, aliisque vel decidentibus, vel pervolantibus locum cedit, iterumque in se coit. Et in supero hypeccaumate, cursibus igneum diversorum, caprarum, trabium, cometarum, aliorum plurium, eodem modo cedit. Si enim resisteret, transcursum hi non fierent. Tots ergo est liquidus. Tots simplex, totus tenuis, totus rarus, totus diaphanus, ac sorte invisibilis, nisi quatenus diaphani tatem esse visilem demonstravimus. Hisce ergo omnibus, invisibilitate, transpicuitate, raritate, tenuitate, liquiditate, simplicitate, quia omnia in cœlo apparent similia, et nulla appareat inter eos segregatio secute satis concludi videtur posse, ærem, ignem non ignem, cœlumque continuatum, unumque esse corpus. Etenim, quæ nam alia potentior hisce septem causa, quæ vel vetare, vel contradicere queat, quin ærem, et cœlum, continuum vere, et non contiguum, quo nos lusit Aristoteles, corpus esse affirmemus. Et si continuum etiam unum, et si unum, quia simplex, etiam naturæ eiusdem. Nam et cœlum invisible est, et diaphanum, et etiam liquidum, quia planetarum cursibus dat locum. Nam si durum, etiam resistens esset, et si resistens ii cursus, ii motus per cœlum fieri nequirent. Sed hos ita fieri non dum constat, inquiet, non dum est demonstratum. At mox demonstrabitur, si prius eæ nostris hisce rationibus concludamus. Aerem, et cœlum, continuum et unum, et eiusdem naturæ esse corpus, et nullo modo, esse corpora separata. Et qui poetæ, cœlumque profundum ærem dixerunt, vere cecinere. Et qui alii, per liquidum æthera, aut aves dicit volare, aut Dedalum, et Icarum volasse est fabulatus, a vero non discessit. Cœlum igitur, æther et aer, et ignis non ignis, idem corpus unum sunt. Et qui argumentis a simplicitate, a tenuitate, a raritate, a liquiditate, a diaphanitate, ab invisibilitate, a nulla eorum evidenti separatione, non movetur, vel philosophari desinat, vel meliores afferat rationes, et donec afferat, nos hasce non dimittimus. At demonstratum iam fuerat quoque, cœlum, et Empyreum mundum, nullo interstitio seiungi, et ideo continuum, et unum, et eiusdem ambos esse naturæ. Et si quid different, eo different, quod Empyreus nostro sensui, nullum ostenter astrum: cœlum ostentet plurima. At modo per secundas argumentationes, aer, et cœlum, et æther, idem corpus nobis evasit, et æther cute Empyreo idem. Aer igitur et Empyreus, idem. Unum ergo corpus totum est universum, partium locis tantum, in se differens. Nimirum quod pars quæ ad centrum proximat, aeris nomine est appellata. Empyreus ea, quæ in infinitum, ad extera protenditur. Inter has duas, partem medium, ætherem, et cœlum vocavere.